



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Ad Decretvm XII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

Laici in hoc præstando morosi sint ad Nos deferant. Sed cavete mihi afferatis excusationum vestrarum inania, dicatisque vel deesse Vobis tempus quod huic curæ insumatis, eamque nimium esse difficilem ac molestam, pueros etiam non venire. Expectat Christus Samaritanam solam Ioan. 4. priorque venit ad puteum, sedebat sic supra fontem: propter salutem unius etiam animulæ laborandum vobis est & negotiandum. Magnus ille Archiepiscopus Genevensis Franciscus de Sales (qui ante paucos annos sanctissime obiit, & de cuius beatificatione jam apud sedem Apostolicam instantè agitur) hoc exemplum secutus cum suam Diocesin visitaret, & nonnunquam unicum hominem (plurimi enim sunt Hæretici) in Ecclesia offenderet, integram concionem dixit, suosque Parochos docuit, tantum propter pietas & salutem à vero Pastore nullum laborem ac studium etiam maximum negligendum vel omittendum.

Præterea audite charissimi: non frequentant templa infantes, quia tu sacerdos ibi non reperiris; non autem ibi reperiris quia non veniunt illi; unde committitur illa errorum vicissitudo. Verum si querere velimus cuius interfuerat ire prius, tuas profecto partes esse constabit, sustines enim ipse regimen eorum, omnisque cura tibi est demandata. Est quidem culpa eorum si te non sequuntur, sed major tua, qui minime præis, neque te ducem eis præbes: ut Vobis in Nostro Synodali sermone Mense Martii 1652. pluribus exposuimus, huncque laborem tam necessarium Vobis commendavimus.

#### Ad DECRETVM XII.

**C**Vm aliqui præterant libros Catholicos deesse, & haberi non posse, Nos eos procurabimus, modo ii qui eos desiderant, ante abitum sub manu, numerum & qualitatem Nobis eorum librorum, quos desiderant, explicent, atque Cathedralis Ecclesiæ Nostre Vicario Theodoro Hülshorst, ad id specialiter à Nobis deputato consignent. Quantum vero momentum æternæ salutis, & vestræ & aliorum vobis commissorum dependeat ex hoc & superiori decreto, pro dolor, paucos videmus considerare, nedum exequi; quare per viscera misericordiæ Dei vos hortamur mandamusque, ut hoc & præcedens ac subsequens decretum omni diligentia impleatis sanctoque Zelo studeatis.

#### Ad DECRETVM XIV.

**M**agnum in hoc decreto defectum reperimus, cum plurimi necdum comparaverint sibi Synodos Nostras jam à triennio impressas, ritualia seu agendas, Martyrolo-

gium, propria sanctorum tam Missalis quam Breviarii, directoria etiam ac Calendaria, multo minus libros Cantionum, Gradualia, Antiphonalia, ut vocant, & alios germanicos hymnorum, item Catechismos, quorum tamen magna pars sumptu Nostro non exiguo in promptu est, & si à Parochis, qui in Ecclesiis necessarii sunt, designentur, haberi poterunt.

Hinc volumus ut quilibet in iis sibi procurandis se magis exhibeat obedientem, & officio suo satisficientem, ni poenæ subiacere velit severioribus.

At excusant se aliqui ratione mediorum illos comparandi: & illi quidem præcipue qui vel potitando sua consumunt, vel avarè corraddendo conservant, vel illicitis impendunt: neminem in hoc excusatum habere possumus vel volumus; ex his officium nostrum totum dependet, aliorumque & pietas & salus. Nec omnia & singula vobis vestris impensis veniunt curanda, sed fabricarum Ecclesiarum, quarum si tenues sint redditus, piorum collectis vestra diligentia supplendum erit, vel etiam ad Nos pro remedio deferendum; quod facile inveniemus apud quosdam Pastores & Provisores, qui redditus illos Ecclesiarum abliguriendo libentius consumunt. Omnino huius decreti executionem Decanis ac Camerariis singularum decanatum seriò demandamus. Volumus etiam ut omnes & singuli hic præsentès coram dicto deputato Nostro Theodoro Hülshorst ante finem Synodi doceant, an & quales ex prædictis libris jam habeant, ut deficientes suppleri possint.

#### Ad DECRETVM XV.

**S**eriò denuò inculcandum, quia magnus notatur defectus plerumque in locis ubi Pastores ipsimet fordidè sunt; E contrario ubi Pastores diligentes morantur, etiam in paupere Ecclesia nitor apparet, ac dilectio decoris domus Dei: Armaria quoque decencia fiant in quibus sacra suppellex afferretur. Si, quæ aliqui malæ notæ personis pessimè impendunt, Ecclesiæ pauperi applicarent, non dubium quin hic laudem, & in cælis thesaurum sibi procurarent.

#### Ad DECRETVM XVI.

**M**iramur nonnunquam qua fronte & qua conscientia, multi dies esuriales & abstinentiæ etiam in hac civitate sine ulla apparenti causa prævaricentur, cum, laus Deo, quæ ad victum pertinent tolerabili pretio haberi possint. Suam itaque Pastores & Clerici in eo demonstrent diligentiam, ut hic defectus eradicetur: Caveant verò, ne, quod absit, pravo exemplo suo, ut factum etiam hic in civitate non adeo diu esse, audivimus, Laicis sibi commissis, aut aliis ad labores conductis

ruinæ